

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Friedrich Riedel

Commentatio Brevis Sistens Qvaestionem Nvm Foeminae In Codicillis Possint Esse Testes?

Rostochii: Typis Adlerianis, 1791

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1791
Riedel, Andr. Frid.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100255201X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X/phys_0002)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100255201X/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X/phys_0003)

DFG

COMMENTATIO BREVIS
SISTENS QVAESTIONEM
NVM FOEMINAE
IN CODICILLIS POSSINT
ESSE TESTES?

QVAM
PVBLICE EDIDIT
A N D R. F R I E D. R I E D E L
I. C. ET PROC. IVD. SVP. VRB.




ROSTOCHII

TYPIS ADLERIANIS. 1791.

42
COMMEMORATIO BREVIS
EISITIUS GAVASTIONEM
NUM HOFMANNAE
IN CODICILIS POSUIT
HESSE HERZES
GAVAN
ERALICE ADIDIT
ANDRÆ FRIEDER
LUDWIG VON GÖTTSCHE



ROSTOCKI
TYPIS AFRICANIS - 1770



§. 1.

Veteres ex Codice sive caudice, id est truncō, crassiore scilicet iarboris parte, quae a radice supra terram assurgit, tabulas scriptioni illita caera aptas reddidisse constat, unde et codices et *Codicilli*, a), qui sunt declaratio ultimae voluntatis nudae extra testamentum b), denominati sunt c).

a) Quamuis Caius l. 148. de V. S. pluralem numerum huius vocabuli semper proferri contendat, tamen l. 7. C. Theod. de bon. matern. et l. 40. Cod. Theod. de baeret. l. 28. C. de test. l. 19. ff. de iur. codicill. l. 38. ff. de cond. et demonst. et l. 13. C. de SS. Ecc., exceptionem faciunt.

b) IO. PETER WALDECK Inst. Iur. Civ. §. 501.

c) WESENBEC. comm. ad ff. lib. 29. tit. 7. n. 2.

§. 2.

Vario autem sensu codicilli vox accipitur. Primum denotat scripturam quandam ad alios missam. Hinc saepe codicillos pro

pro epistolis ponit CICERO d), Praecipue tamen id nomen tribuebatur epistolis ad praesentes missis. Vnde SENECA e). *Video te, mi Licuti, quum maxime audio, adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas sed codicillos tibi scribere.* Imo etiam in legibus Codicilli vocantur Epistolae. Sic enim Scaevola f): *testamento filium et uxorem suam heredes instituit, postea epistolam scripsisse dicitur, qua et quicquid in peculio habuit filius, ei donavit, et adiecit, praecipua haec eum, suique iuris, et post mortem suam habere velle.* Quaero, cum testamento significaverit, si quid obsignatum receperisset, id vice codicillorum valeret, epistola autem non sit obsignata: an, quae epistola continentur, ad filium pertineant? Respondi, si fides epistolae reliqua constaret, deberi, quae in eam dare se velle significavit.

Porro etiam et quidem sensu eminentiore codicilli epistolae publicas g), seu rescripta principum indicant h).

d) Epist. ad Fam. lib. IV. ep. 12. lib. VI. ep. 18. ad Attic. XII. 8.
ad Quint. Fratr. II. 10.

e) Epist. LV.

f) l. 89. D. de legatis. Corrobatur hoc l. 41. §. 2. D. de leg. 3.
et l. 7. C. qui testam. fac. poss. (VI. 22.)

g) asserit Brissonius de V. S. pag. 395. codicillos idem significare antiquis scriptoribus, quod pugillares, in quibus memoriae caussa aliquid adnotare solemus.

h) §. 4. I. de fideiuss. confer. etiam §. 2. I. de his, qui sui vel alieni iuris sunt.

§. 3.

Recte igitur colligimus, codicillos, quos deinde Imperatores tanquam ultimae voluntatis genus adprobabant, nihil aliud fuisse,
quam

quam epistolas scriptas ad haeredes de eo , quod post mortem suam scribentes ab haeredibus fieri vellent i).

i) BOEHMER. Diss. de Codicill. sine test. valid. cap. I. §. 3. 4.

§. 4.

Concipi vero solebant codicilli non aliter ac epistolae. Hinc praemittebatur solemnis illa , qua epistolas auspicari solebant , salutatio k). Adparet igitur facile , in Codicillis non magis quam in epistolis desideratam esse ullam solennitatem ordinationis l). Non ergo testibus opus erat in Codicillis , quippe quum in Digestis nunquam exigantur testes , imo contrarium eluceat ex verbis Pauli m): Codicilli totiens valent , quotiens quis testamentum quodue facere possit. Quid enim magis esset absurdum , quam in conscribendis epistolis testes adhibere , solennitates observare , unitatemque actus , quam etiam in codicillis non concedo , desiderare.

k) I. 56. D. de fideic. libert. I. 37. §. 2. I. 32. §. 3. D. de legat. 3.

l) 30. §. I. de adim. vel transf. leg.

l) §. 3. I. de cod.

m) I. 8. §. 2. ff. de iur. codic.

§. 5.

Ex Codicillorum historia , quam Iustinianus ipse delineavit n), magis magisque apparet , codicillos sine testibus valuisse. Lucius Lenetus , qui etiam fideicomissa invenit , testamento Romae facto , in quo Augustum ejusque filiam heredes instituerat , decedens in Africam , ibi primus scripsit codicillos , quibus ab Augusto aliquid petuit. Licet autem ante ea tempora inauditum esset , per epistolam

A 3

vel

vel codicillos heredi aliquid imponere, quod eum obligaret; satis fecit tamen Augustus Lentuli codicillis, et legata praestitit. Deinceps alii eius auctoritatem sequuti, fideicomissa praestabant. Quapropter Augustus, convocatis sapientibus viris, atque inter eos Trebatium quoque, cuius tunc auctoritas summa erat, quæsivit, an posset recipi hoc, nec obsonans a juris ratione Codicillorum usus esset. Trebatius autem suasit Augusto, ut utilissimum et necessarium hoc civibus judicaret, in magnis longisque peregrinationibus, ut, si quis testamentum facere non posset, tamen Codicillos scriberet. Post quæ tempora, cum et Labeo o) codicillos fecisset, jam nemini dubium erat, quin Codicilli jure optimo admitterentur.

n) princ. Inst. de cod.

o) de hui. virti auctoritate conf. Tac, Annal. III. 75. Gell. Noct. Att. XIII. 12.

§. 6.

Ita res mansit usque ad dispositionem, ut codicilli etiam nuncupativi sine ulla scriptura, fierent p). Id quod tamen a codicillorum indeole plane abhorret. Hinc ex eo tempore etiam testibus vti necesse visum est, quapropter Constantinus M., vel vt alii malunt, Constantius ita disposuit q): In codicillis, quos testamentum non præcedit, sicut in voluntatibus testamenti septem testium vel quinque interventum non deesse oportet. Sic enim fiet, ut successiones sine aliqua captione serventur, si igitur testium numerus defecerit, instrumentum codicilli habeatur infirmum. Quam quidem legem confirmavit et auxit Theodosius r).

Requiebat enim

i) praesentiam quinque testium, qui vel rogati vel fortuito venerint,

2)

- 2) ut adhibiti essent uno eodemque tempore f)
 3) testium subnotationem, si in scriptis voluntas compone-
 retur.

Postea Iustinianus t) hanc legem fere oblivioni datam quasi revocavit: et sic testamentum validum, et codicillus, si quinque testium litterae, testatoris scripturae, coadunentur, in sua firmitate remaneant. Tandem intraduxit eam Maximilianus I. in Germaniam, ita disponens u): Aber in Codicillen, nehmlich darinnen, einem außerhalb Ansehung oder Machung anderer Erben, etwas nach eines Tode von desselben Erben zu reichen und zu empfahlen, gesetzt, ver macht, oder zu treuen Händen befohlen wird, etc. aufs wenigste fünf Zeugen.

- p) l. 3. C. de bon. libert.
 q) l. I. C. Theod. de testam. et cod.
 r) l. ult. §. 3. C. de cod. Putant quidem IACOBVS GOTHOFREDVS ad l. 7. C. Theod. de testam. et cod. et OTTO in Comm. ad Inst. pag. 253. hancce §. ultimam non esse Theodosii, sed Tribonianii, quia abest in Codice Theodosiano. Sed cum idem Imperator multa in ultimis voluntatibus immutavit, cuius rei luculentum specimen l. 21. C. de test. exhibet, in qua, finem testamentei subscriptiones et signacula esse, decernit, falsitatem huius § non agnoscam.
 s) ex hoc concludunt DD unitatem actus, id quod mea sentententia fallum est. Nam lex cit. ne verbum quidem de unitate actus continet, sed disponit solummodo, ut testes adhibeantur uno eodemque tempore, quod tamen interruptionem actus non excludit. Ceterum Imperatorem, si unitatem actus in codicillis desiderasset, illud certe heic aequi luculenter atque in testamentis mandasse iudico,

8

dico, idque eo magis, quam conclusio a testamentis ad codicillos nihil operatur. De testamentis autem l. 21. §. 3. D. qui testam. fac. poss. ita disponit: *Vno contextu actus testari oportet: est autem uno contextu, nullum actum alienum testamento intermixere, quod (si) aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitiatur*

t) l. 28. §. 1. C. de testam.

u) Ord. Not. de ao. 1512. §. 42.

§. 7.

Ex hacce codicillorum historia, quam in antecedentibus paragraphis delineavimus, satis appareat, codicillos tempore originis fuisse epistolas, nullasque desiderasse testes, deinde quum testimoniū adhibitio mandata fuerit, testes non ad formam substantialem, ut testamentarii, sed ad tutionem ac securiorem probationem, et ut testamentium successiones sine aliqua captione servarentur w), intervenisse. Iam vero mulier tunc testis esse potest, quum res solummodo probationem desiderat, atque hoc in Codicillis contingit, qui nullam solennitatem ordinationis requirunt x), et ad evitandas testamentorum solennitates sunt introducti. Neque foeminis, quae praeter testamentum in aliis rebus utique testimonium rite dicere possunt y), usquam interdicitur testimonium z). Imo in criminalibus adhiberi possunt a), et in quaestionibus laesae majestatis audiuntur b).

w) l. 1. C. Theod. de test. et cod.

x) §. 3. I. de cod.

y) l. 20. §. 6. qui testam. fac. poss. l. 18. de testib.

z) l. 1. §. 1. de testib.

a) l. c.

a) I. c. I. §. I. de testib.

b) I. 8. ad L. Jul. Maj. sed mulierum

§. 8.

Respectu Iuris Germanici testimonium mulierum nullam habebit dubitationem, quum notissimum sit, quanta aestimatione convergentur, ita enim TACITVS e: inesse (scilicet mulieribus) sanguinem aliquid et providum putant; nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt.

c) de morib. Germ. C. V.

§. 9.

Nunc me accingo ad destruendas adversariorum rationes, inter quos novissime extitit Carl Fried. Walch, qui in introd. in controvers. jur. civilis contrariam defendit sententiam, et hisce utitur argumentis. Primum enim protulit, *Ubi testes requiruntur solennitatis caussa ibi inter illas mulieres non sunt admittendae; in quoque autem negotio plures, quam duo testes necesse est ut adhibantur, ei intersunt testes solemnitatis caussa, quod ex eo constat, quod ad probandum quid duo testes tantum sint necessarii.* Non solum id jure gentium obtinuit, teste illustri optimi salvatoris effato Matth. XVII. v. 17. verum etiam legibus Romanis est sancitum l. 12. D. et l. 9. §. 1. C. testibus. Quinque autem testes in codicillis requiri elucet ex l. ult. §. ult. C. de Codicillis. Sed ejusmodi negotium, quod plures quam duo testes requirat, esse solenne, me convincere nequeo. Nam etsi aliter duo testes plene probant tamen non est inauditum, plures, quam duo testes, in negotio quodam adhiberi,

B

ut

ut per ampliores homines perfectissima veritas reueletur? d). Législatorem Iustinianum e) ipsum testem habeo, requirentem, ut ii, qui aliis pecuniam mutuam dederint, nullumque chyrographum accepterint: quinque testes idoneos et summos atque integræ opinionis viros, solutioni adhibeant, hique sub juramento religione deponant, sub praesentia sua debitum esse solutum. Heic duo plene probabant testes, sed aliud placuit legislatori, et probationem soluta pecuniae, sine accepto chyrographo, ad quinque testium praesentiam restrinxit.

d) I. 32. C. de fideic.

e) I. 18. C. de testibus.

Accedimus ad alterum argumentum ita conceptum: *Ubi testes loco classium Romanorum civium, qui in comitiis comparuerunt, adfuerunt, ibi e sexu masculino esse debuerunt, propterea, quod mulier comitiorum non erat capax.* Hocce argumentum in se quidem est verum, sed testes in Codicillis loco classium Romanorum civium esse, penitus pernigo, quoniam Codicilli Augusti aevi ortum trahabant, quo tempore comitia in desuetudinem veniebant.

Tertium argumentum est: *Ubi plures, quam duo testes requirunt Romani, ibi simul semper, ut sint masculi, postulant,* l. 18. C. de testibus. Quod si esset verum, utique mea assertio dilaberetur. Sed lex citata ita sonat: *Testium facilitatem, per quos multa ueritati contraria perpetrantur, prout possibile est, resecant:*

tes: omnibus praedicimus, (ut) qui in scriptis a se debita retulerint, non facile audiantur, si dicant, Omnis debiti vel partis solutionem sine scriptis se fecisse, vel intque viles et forsitan redemptos testes super hujusmodi solutione producere: nisi quinque testes idonei et summae atque integrae opinionis praeflo fuerint solutioni celebratae, hique cum sacramento religione deposuerint sub praesentia sua debitum esse solutum: ut scientes omnes ita ea statuta esse, non aliter debitum, vel partem ejus persolvant, nisi vel securitatem in scriptis capiant vel observaverint praefata in testimoniis probationem: His scilicet, qui jam sine scriptis debitum vel partem ejus soluerint, (ad) praesenti sanctione merito excipiendis. Sin vero facta quidem (per scripturam) securitas sit, fortuito autem vel incendiis vel naufragii, vel alterius infortunii perempta, tunc liceat his, qui hoc perpepsi sunt, causam peremptionis probantibus, etiam debiti solutionem per testem probare, damnumque ex amissione instrumenti effugere.

Haec lex ne verbum quidem de eo continet, quod Auctor contendit. Mihi vero contrarium probare facile erit, ideoque sommmodo provoco ad l. i. §. 10. D. de inspicio ventre. Heic Praetor: Si mulier, inquit, mortuo marito praegnantem se esse dicet, his ad quos ea res pertinebit, procuratorive eorum bis in mense denunciandum curet, ut mittant, si velint, quae ventrem inspiciant. Mittantur (autem) mulieres liberae duntaxat quinque: haecque simul omnes inspiciant: dum ne qua earum, dnm inspicit, invita muliere ventrem tangat. Mulier in domo honestissimae foeminae pariat, quam ego constitua. Mulier ante dies triginta quam parituram

se putat, denunciet his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve
 eorum, ut mittant, si velint, qui ventrem custodian. In quo con-
 clavi mulier paritura erat, ibi ne plures aditus sint, quam unus: si
 erunt, ex utraque parte tabulis praefigantur. Ante ostium ejus con-
 clavis liberi tres, et tres liberae cum binis comitibus custodian.
 Quotiescumque ea mulier in id conclave, aliudue quod, sive in bal-
 neum ibit, custodes, si volent, id ante prospiciant: et eos, qui
 introierint, excutiant. Custodes qui ante conclave positi erunt, si
 volunt, omnes, qui conclave aut domum introierint, excutiant.
 Mulier, cum parturire incipiat his ad quos ea res pertinet, procu-
 ratoribusve eorum denunciet, ut iuittant, quibus praesentibus pari-
 at. Mittantur mulieres liberae duntaxat quinque: ita ut, praeter
 obfletrices duas, in eo conclavi ne plures mulieres liberae sint, quam
 decem: ancillae, quam sex. Hae, quae intus futurae erunt, ex-
 cutiantur omnes in eo conclavi, ne qua praeognans sit. Tria lumi-
 na, ne minus ibi sint: scilicet, quia tenebrae ad subjiciendum apti-
 ores sunt. Quod natumerit his ad quos ea res pertinet procurato-
 ribusve eorum, si inspicere volent, ostendatur. Apud eum educatur,
 apud quem parens jussit. Si autem nihil parens jussit, aut is,
 apud quem voluerit educari, curam non recipiet, apud quem educe-
 tur, causa cognita constituam. Is, apud quem educabitur quod
 natum erit, quoad trium mensum sit, bis in mense ex eo tempore;
 quoad sex mensum sit, semel in mense, a sex mensibus quoad anni-
 culus fiat, alternis mensibus; ab anniculo quoad fari possit, semel
 in sex mensibus, ubi volet, ostendat. Si cui ventrem inspici, cu-
 stodirive, adeffe partui licitum non erit, factumve quid erit, quo-
 minus

minus ea ita fiant, ut supra comprehensum est, ei quod natum erit, possessionem causa cognita non dabo. Sive quod natum erit, ut supra cautum est, inspici non licuerit: Quas utique actiones me durum palliceor his, quibus ex Edicto meo bonorum possessio data sit, eas si mihi justa causa videbitur esse, ei non dabo.

§. 12.

Quartum argumentum in eo consistit: *Quocunque de testibus testamentariis adfirmatur, id quoque de codicillaribus locum habet.* Ex hoc apparet, quantopere Auctor jus testamentorum et codicillorum confuderit, et continet petitionem principii, mulieres non esse testes idoneos, quod tamen satis luculenter demonstravimus. Caeterum conclusio a testibus testamentariis ad codicillares ideo nihil valet quia hi non debent esse rogati, et codicilli introducendi sunt ad evitandas solennitates testamentorum.

§. 13.

Quintum argumentum ita sonat: *Ab omnibus officiis civilibus remotae sunt foeminae ex l. 2. D. de R. D. ad illa autem etiam minus testis testamentarii est referendum, id quod non est negandum.* Sed mulier regulariter testis esse potest, nisi specialiter prohibeatur. Nam Edictum de testibus certis tantum prohibet personis, itaque caeteris sub prohibitione nominatim non comprehensis testimonium regulariter est permisum. Exinde enim, quod in testamento mulieris testimonium non permittitur, nullo modo sit justa illatio ad codicillos, nam non solum ratio, quae a testamento mulieres repellit, heic cessat, sed etiam in testamento de majori agitur

tur praejudicio, quia de omnibus disponitur bonis, ideoque in illo plutes fraudes committi possunt h).

f) arg. I. I. §. 1. 1. 18. ff. de test. iuncta I. 20. §. 6. ff. qui testam. fac. poss.

g) dict. I. I. iuncta I. 28. §. 2. ff. ex quibus caus. maior.

h) arg. I. f. C. de fideic.

§. 14.

Sextum argumentum est provocatio ad scholastem Constant. Harmenopolum, qui liber. I. tit. 6. etiam doctrinam testamento- rum et codicillorum promiscuit, et assumit; Veteribus LL. hoc est Nov. Leonis 48. antiquioribus mulieres prohiberi, ne sint testes in codicillis et donatione mortis causa aequa ac in testamentis. Sed jam a BERGERO i) eo modo refutatus est: Aut errasse Scholastem putantem, id quod de testamentis sancitum, exempli tantum causa esse dictum, et peraeque de quibusvis aliis testimoniosis ad ordinati- onem aut solennitatem alicujus actus pertinentibus intelligendum esse; aut certe illas leges antiquas, quibus id cautum fuisset, a Ju- stiniano eo ipso esse improbatas, quod in corpus Iuris non sint receptae.

i) in Diff. iur. sel. disp. XXIX. §. XXI.

§. 15.

Ex praestructis quidem patet, foeminas in codicillis testes ad- liberi posse. Consentient quoque mecum STRICK k), LEYSER l), de COCCHEJI, perplurimique Auctores ab his allegati. Ob differ- sum autem, qui adest, tutius est aligendum, hinc, ut masculi te- stes,


fles, quoties eorum copia sit habenda, requirantur, ipsemet ego suaderem. Obveniente interim casu, quo fœminae aut solae, aut cum masulis sint adhibitæ, valorem codicillorum ex argumentis jam adductis defendere omnino liceret, id quod hisce plagulis demonstrare mihi animus fuit, lectori benevolo tamen judicium quid sibi hac de re videatur, pariter relinquendo.

k) in U. M. Lib. 29. tit. 7. §. 6.

l) in med. ad ff. Spec. 378. cor. I.

m) in iur. controv. lib. 29. tit. 7. Qu. 4.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100255201X/phys_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X/phys_0021)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100255201X/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X/phys_0023)


DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn100255201X/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100255201X/phys_0024)

DFG



eorum copia sit habenda, requirantur, ipsem et ego
Obveniente interim casu, quo foeminae aut solae, aut
sint adhibitae, valorem codicillorum ex argumentis
defendere omnino liceret, id quod hisce plagulis de-
ihi animus fuit, lectori benevolo tamen judicium quid
e videatur, pariter relinquendo.

I. Lib. 29. tit. 7. §. 6.

ad ff. Spec. 378. cor. I.

controv. lib. 29. tit. 7. Qu. 4.

